





D. 17. 46

Xa  
3462

REVERENDISSIMO SERENISSIMO QVE  
PRINCIPI AC DOMINO  
**DN. MAVRITIO GVILIELMO**

POSTVLATO ADMINISTRATORI EPISCOPATVS NVMBVR-  
GENSIS, SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM, AN-  
GARIAE WESTPHALIAEQVE DVCI, LANDGRAVIO THVRIN-  
GIAE, MARCHIONI MISNIAE, SVPERIORIS ET  
INFERIORIS LVSATIAE, PRINCIPI HENNEBERGIAE  
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYN-  
STAЕ RAVENSTEINII, ETC.

PRINCIPI AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMQ

IVXTA ET

SERENISSIMAE PRINCIPI AC DOMINAE  
**DN. MARIAE AMALIAE**

SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM, ANGARIAE  
WESTPHALIAEQVE DVCI, ETC. NATAE MARCHIONSSAE  
DOMVS ELECTORALIS BRANDENBURGENSIS ETC.

PRINCIPI AC DOMINAE SVAE CLEMENTISSIMAE

*PROPTER SPEM DIVINITVS IMPLETAM*

*ET FILIVM SUCCESSOREM*

A DEO DAT VM

SERENISSIMVM PRINCIPEM

**FRIDERICVM AVGVSTVM**

SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM, ANGA-  
RIAЕ, WESTPHALIAEQVE DVCEM, ETC.

IN REGIMINE FAVSTO

ET BONIS OMNIBVS FORTVNATO

PORRO SVMMA OMNIA

*SUBIECTISSIMO ANIMI CVLTV*

*PRECATVR*

ET ORATIONEM HANC NATALITIAM

OFFERT DEVOTISSIMVS VASALLVS

GOTTLOB FRIDEMANNVS DE POELNITZ.

IENAE  
LITTERIS KREBSIANIS.


C I O I C C .



М 1909 год СУМКА М 30199 86

卷之三

1. *Therapeutic Agents*



NASCERE PRINCEPS  
SPES PATRIAE, DE COELO CONCEPTA  
FVLCRVM EXCELSAE DOMVS  
SAECVLI NOSTRI DECVS AC PRAESIDIVM  
NOVVM EXORIRE SIDVS  
NON SINE VOTIS EXPECTATVM  
AC RADIIS VNDIQVE SPARSIS  
NOCTEM PELLE AC SIMVL ORBITATEM  
NASCERE PRINCEPS FELICITER  
ET INTER MORTALES NIHIL MORTALE EXPERIRE  
SOSPES IN AETATE LVBRICA  
SALVVS ET INCOLVMIS PER OMNEM VITAM  
PRECANTVR ITA  
QVI ORBITATE SVBLATA  
TE GAVDIVM IN SECUNDIS VENERANTVR  
IN DVBIIS SOLATIVM  
REBVSQVE FESSIS LEVAMEN  
COELO DEMISSVM  
LAETATVR ANTE OMNES PATER  
REVERENDISSIMVS AC SERENISSIMVS PRINCEPS

## MAVRITIUS GVILIELMVS

POSTVLATVS ADMINISTRATOR EPISCOPATVS NVMBVR-  
GENSIS, SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM, AN-  
GARIAE WESTPHALIAEQVE DVX, LANDGRAVIS THVRIN-  
GIAE, MARCHIO MISNIAE, SVPERIORIS ET IN-  
FERIORIS LVSATIAE, PRINCEPS HENNEBERGIAE,  
COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYN-  
STA RAVENSTEINII, ETC.

PRINCEPS AC DOMINVS NOSTER CLEMENTISSIMVS  
CVM MATRE  
SERENISSIMA PRINCIPE

## MARIA AMALIA

MARCHIONISSA DOMVS ELECTORA-  
LIS BRANDENBURGENSIS, ETC.

PRINCIPE AC DOMINA NOSTRA CLEMENTISSIMA  
HAERENT IN ADSPECTV PARENTES LAETISSIMO  
INQVE PARVULO ADMIRANTVR

MAGNA NOMINA MAIORVM

AVGVSTOS, MAVRITIOS, FRIDERICOS, ALBERTOS, GVILIELMOS  
IN VNO OMNIA

LAETANTVR CONCORDES

ET MAGNO SIBI STETISSE HOC PIGNVS COELI FATENTVR

NEC ENIM MAGNA SVNT QVOTIDIANA  
LAETITIAE PUBLICAE TOT HABEMVS TESTES  
QVOT SVNT CIVES  
AC SVBDITI OPTIMO PRINCIP<sup>E</sup>  
CVM HIS VOTA CONIVNGIT  
DVRATVRA GAVDIA SPONSVRVS  
ORATIONE NATALITIA  
GENEROSVS ATQVE NOBILISSIMVS IVVENIS  
**GOTTLOB FRIEDEMANNVS DE POELNITZ**  
QVEM VT FVTVRO IOVIS DIE  
HORA X IN TEMPLO ACADEMICO  
SUMMA PRECANTEM QVAEQVE  
AVDIANT BENIVOLE  
RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS  
EIVSDEMQVE DESIGNATVS  
ILLVSTRISSIMI DOMINI COMITES  
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI  
DOCTI ET BONI OMNES  
GENEROSA INPRIMIS AC NOBILISSIMA  
CONCIO COMMILITONVM  
DEMISSE, OFFICIOSE, ET PERAMANTER ORO  
**GEORGIVS SCHVBARTVS, D.**



MARIA

PRINCIPE AC DOMINA NOSTRA CLEMENTISSIMA

HEREN IN ADSPECTA PARENTES LAETISSIMO

IN OVA PARRA ADMIRANTUR

MAGNA NOMINA MADIORVM

VAGASTOS, MARTIOS, ERIDERICOS, ALBERTOS, GALLIUS

IN ANO OMNI

LAETANTUR CONCORDES

ET MAGNO SIT STELLE HOC PIGENS COELI EVENTUR

**RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE  
ILLVSTRISSIMI DOMINI COMITES  
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI**  
*Tuque commilitonum generosissimorum  
nobilissimorumque corona cultissima,  
florentissima.*



**N**ter fatales easque commun-  
nes humanarum rerum vi-  
cissitudines, quibus obnoxia  
est vita nostra, non minima  
fane æstimanda est illa, qua contingit,  
ut domui atque familiæ antiqua digni-  
tate & gloria excelsæ, iamque in ipso  
rerum gestarum fastigio collocatæ de-  
**A**enigiles iup. et alib. eriguntur  
sint,

(2.) 826

sint, qui maiorum usque huc gloriose  
parta tueri, ipsorumque vestigiis ince-  
dendo famam adaugere, & ad seros  
transcribere possint nepotes. Ut e-  
nim inauspicatam, maximeque tristem  
regiae stirpis sortem præteream, in  
qua cernimus a longa maiorum serie  
ductam gloriam, connatamque generi  
virtutem, in uno tandem occidere, &  
velut a terris auolare: hoc saltem con-  
siderate mecum, quænam illa sentiat  
detrimenta, quibus exponatur pericu-  
lis regnum, in fatali hoc interitu, in or-  
bitate ac solitudine haec tristissima. Proh  
DEVM immortalem! quibus tunc inco-  
lae & habitatores terræ satis copiosæ ac  
felicis premuntur ærumnis & miseriis?  
quas perturbationes omni ex parte,  
quas molitiones inter ancipites rerum  
eventus deprehendunt? Satis enim con-  
stat, ac per tot seculorum experimenta  
comprobatum est, regnandi libidinem  
miras tunc formas producere, quan-  
do regnare desierunt, qui religione,  
iusti-

220(3)220

iustitia, virtute omni, & moderatione  
in primis, a singulis DEO proximi ha-  
bebantur. Nunquam succedunt pa-  
res, nisi DEVS ex alto collocet eos in  
throno, & regiis dotibus exornet, vt  
res adflictas labentesque restituant, ac  
pristinum decus concilient. Ita enim  
tristes fugiunt nebulæ, & cœlum nobis  
præstant vndique sudum: ita procella-  
rum furor mitigatur, & quæ sœua mo-  
do, & aspera videbantur, diuinitus pla-  
cantur, ac tranquillitate exoptatisima  
perfruuntur. Quis nostrum ignorat,  
quæ in beatorum insula, magnæ Bri-  
tanniæ regno, propter domus regiæ  
fulcra vel collapsa, vel minus tuta ge-  
sta sint? Non repetimus antiquio-  
ra, post Eduardi VI tempora, & quæ  
nulla dein superstite mascula prole sub  
vtraque sorore, Maria & Elisabetha in-  
ter spem ac metum peracta sunt. In  
Europa non tantum, sed vbiique ter-  
rarum huc oculi conuertebantur.  
Quæ enim sub regimine alterius im-  
muta-

-on



400 (4.) 401

mutabantur, ea non sine ingenti animorum confusione, sub regimine alterius restituebantur, augebantur. Ante paucos annos, Carolo II rege, sine legitimo successore diem obeunte, noua in regno illo scena instruebatur, quæ non diu post mutata est, in dubia successoris natuitate, quam fama ita per omnes terræ angulos disseminauerat, ut nec deinceps eam obliuio facile delere posset. In contemplandis hisce, atque cum cura recolendis non occupabimur: quia res in orbe terrarum patuit, omnium notitiæ insinuata: de qua in tanta libertate partium nihil definimus. Neque turbas a filio Caroli, duce Montmuthio, excitatas & mox consopitas, ex eadem cauſſa describimus: quia fabula sine admiratione dimisit spectatores. Maiora supererant in regno mala, quibus nimiopere concutiebantur animi cunctorum, qui patriam amabant, & ad intestina bella inhorrefiebant. Libertas enim prope  
no-

-B3 U III

(5.)

nomen exosum in aula erat, apud illos  
præsertim, qui regiæ dominationis mi-  
nistri erant. Nulla vigorem lex ha-  
bebat: non iusjurandum amplius, licet  
sanctissimum inter mortales vinculum  
sit, obseruari debebat. Prouidentia ita-  
que & nutu diuino res in illum statum  
conuersa est, in quo efflorescit hodie-  
num. Sed illud felicitatem in regno  
imminuit, quod fulcra domus, & he-  
roicæ stirpis pignora desiderentur.  
Huic malo veteres obuiam ituri suc-  
cessorem in regnoven nominabant vel  
adoptabant: quæ instituta nec consiliis  
nostræ ætatis atque exemplis aliena-  
sunt. Certiora tamen semper præsi-  
dia regni sunt liberi, ne ex orbitate  
crescat libido regnandi, & ad iniquio-  
ra stimulet eos, qui ut emineant soli,  
non raro cum imis permiscent summa.  
Quam anxia spes tenet Hispanos, in  
successore diuinitus constituendo? At-  
toniti hærent plures, rerum in regno  
tam amplo non imperiti, ac diem sine

B

pro-

(6.)

prole data, vnde solium exornetur fir-  
meturque, tanquam atrum & fune-  
stum execrantur. In pauore defixi  
hærent alii, neque explicare posunt la-  
tentest causarum nexus, & quorsum re-  
ferre debeant hunc ordinem fatorum.  
Rectissime philosophantur in tam am-  
biguo rerum tractatu, qui in arbitrio  
numinis æterni conquiescunt vnice,  
non vana persuasi opinione, in crea-  
toris manu esse, regnis dare reges,  
imperiis principes. Neque enim tuto  
satis mortales partiuntur orbem, ve-  
lut priuati nominis patrimonium: quia  
hoc nihil aliud est, quam DEI mune-  
re fungi, qui pro bonitate sua immen-  
sa prouidet omnibus. Qui inter gen-  
tiles rationem sequebantur ac natu-  
ram, a DEO precabantur, vt præfice-  
ret sibi optimos. Ita autem vota iun-  
gebant, ad certum in regno successo-  
rem a DEO impetrandum, ne prauæ a-  
liorum spes increaserent: quare Tacit-  
us prudenter ait, quarto historiarum:  
non

220(7)220

non legiones, non classes, tam firmas  
Imperii munimenta sunt, quam numerus liberorum. Hæc est causa, propter quam Hercules apud Pindarum in Isthmiis pro Telamone hospite suo intercedit, & preces ad Iouem ita format: si vñquam meam, o pater, animo lubens precationem audiuisti, nunc audi sacras preces meas, & filium ex Eribœa Telamoni hospiti meo concede. Quam vero sanctum & inuiolabile ius fuit hospitii inter veteres, tam sincera erant vota precesque. Sanctius omnino vinculum est, quo regi & principi obstringuntur subditi. Non enim tanquam hospites ex iure mutuo solent aestimare obligationem, sed ex beneficiis, quibus post DEVUM cumulantur ab iisdem maximis: quare non dubitandum est, quod ardentibus votis numen venerati sint omnes, pro augenda conseruandaque domo, & principe largiendo successore. Qui verum agnoscunt DEVUM, & preces si-  
ne

(8.)

ne superstitione concipiunt ad cun-  
dem funduntque, certiores quoque  
esse possunt, votorum se compotes fo-  
re. Sperant enim, quæ post sacra ri-  
te peracta sperare possunt : sperant  
& indipiscuntur, quæ sincere expetie-  
rant, sine vana religione, sine cultu a-  
lienō. Exempla veteris æui non reci-  
tabimus in præsenti, nec longe digre-  
diemur. Quis enim est, ad cuius aures  
non peruenit lætissimum illud nun-  
tium, quod Ciza accepimus, ardentes-  
sima piorum vota tandem cum preci-  
bus exaudita fuisse, ita quidem, vt au-  
tor & largitor omnium bonorum  
DEVS, sator & conseruator generis hu-  
mani, REVERENDISSIMVM AC SERENISSI-  
MVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DN.  
**M A V R I T I V M G V I L I E L M V M , P O S T V-**  
**L A T V M A D M I N I S T R A T O R E M E P I S C O P A T V S**  
**N V M B V R G E N S I S , D V C E M S A X O N I A E , I V-**  
**LI A C I , C L I V I A E A C M O N T I V M , A N G A R I A E**  
**E T V V E S T P H A L I A E , L A N G R A D F I V M T H V R I N-**  
**G I A E , M A R C H I O N E M M I S N I A E , S V P E R I O R I S**  
ET



ET INFERIORIS LVSATIAE, PRINCIPEM  
HENNEBERGIAE, COMITEM MARCAE ET  
RAVENSBERGAE, DYNASTAM RAVEN-  
STEINII, PRINCIPEM AC DOMINVM  
MEVM CLEMENTISSIMVM, iuxta & SE-  
RENISSIMAM PRINCIPEM AC DOMINAM,  
DN. MARIAM AMALIAM, MARCHIONIS-  
SAM DOMVS ELECTORALIS BRANDENBVR-  
GENSIS, PRINCIPEM ET DOMINAM MEAM CLE-  
MENTISSIMAM, nec minus languentem huc  
vsque, & inter vota incerta anhelan-  
tem dubiamque patriam PRINCIPE FI-  
LIO SVCCESORE, omnium delicio,  
& communi gaudio beauerit? Quis  
nostrum ignorat, solem in terris Saxo  
Citicensibus exortum esse, qui nouo  
sideris aspectu recreat mortales, &  
animos caligantes inter spem metum-  
que trepida formidine soluit? Vota  
superauit hic euentus, & quod a cœlo  
datum est pignus amoris, incompara-  
bili affectu excipitur a singulis. Ne-  
mo tristis: nemo ex orbitatis metu  
confaternitur amplius. Lætantur o-  
mnes

C

(10.)

mnes, & modos vix inire possunt, quibus hanc animi mentem explicit. Ita vero comparata est ratio vitæ naturæque humanæ, ut liberata curis, extra se velut ponatur, ac præ gaudio insperato non gestiat modo, sed & plaudat exultetve liberrime. Alius exclamat: cessant anxia vota, cessant lentæ spei tormenta: impleta est spes nostra, dum ridet in gremio PARENTVM SERENISSIMORVM tranquillitatis optatæ lequester. O spes, & gaudium nostrum! Alius, velut radio solis perstrictus, aberrat in gaudio, & maiora concipit animo, nec tam incedit lætitiis, quam cum obuio quolibet certare audet, eumque fronte serena, oculis, verborumque superare ambagibus. Sunt alii, qui, officii pietatisque memores, profitentur animum erectum, post vota tamdiu suspensa, & pulsatum suspiriis cœlum. Sed iam patria tota collustratur nouo iubare, & vndique pro magnitudine gaudii gratulationes fiunt.

(II.)

flunt. O me felicissimum, qui consilium coeleste non vano impetu effari possum: perennitatem nimirum dominus Saxo Citizenis confirmatam esse in principe nato! O faustum & ausplicatum lumen! O tempus exoptatissimum! Probavit in mora DEVS fiduciam nostram, & piæ spei cruciatum noluit esse irritum. Non statim indulxit, quod impatientius efflagitabant mortales: sed ut solidior esset maiorque singulorum alacritas in beneficio diuino agnoscendo prædicandove, spem distulit, non abstulit, pro æterna sua erga nos benignitate. Hic enim deserere suos diutius non potuit: quia moram tot annorum largiore pensauit usura. Vedit SERENISSIMO RVM PARENTVM pietatem non fuic tam: respexit ad patriæ salutem inter signa pacis, ex Arcto refulgentia, & dum alii sanguine madent, per strages & ruinas publico gaudio litantes, heic inter oscula puero fixa, inter lætissima spe-

(12.)

specacula triumphus agitur amoris.  
TIBI, benignissime DEVS, gratias agimus, quod in tempore ad nos respexeris, ac cœlo demiseris auxilium nobis, vnde familia non tantum excelsa, sed & res patriæ communis firmatur. Si felicitatem, qua hodie Ciza faustissimo gaudet omne, ex veris momentis æstimare velimus, omnino DEVS illam nullam aliam ob causam indulxit, quam ob singularem SERENISSIMORVM PARENTVM pietatem. Si quis enim nostra ætate inter illustres reperitur, qui circa vanæ & affectatae probitatis studium, verissima eaque miranda pietatis exempla demonstrat, certe is est REVERENDISSIMVS AC SERENISSIMVS PRINCEPS MAVRITIVS GUILIELMVS: si quæ heroina æui præsentis est, quæ propter ardente cultum & amorem DEI, & preces deuotas pro salute patriæ multis aliis præferri debet, illa fane erit SERENISSIMA PRINCEPS MARIA AMALIA, quam incolumem, ac prosper-

sperrime valentem, cum PRINCIPE  
 FILIO DEVS conseruabit nobis diutis-  
 sime. Non ignoramus, DEVM a nobis  
 coli passim in orbe terrarum: sed  
 num pietas vera & infucata tutiorem  
 habeat sedem, & ab inconstantia re-  
 motiorem, vix putauerim. Nemo  
 enim sine tacita vi atque admiratione  
 interest sacris, quæ peraguntur a SERE-  
 NISSIMO PRINCIPVM PARI, quin ex  
 cultu sanctissimo numinis, & intenta  
 cura moueatur: nemo vel adspicit  
 tantum ad vultum excelsum, quin no-  
 tas legat pietatis ac rectissimæ venera-  
 tionis: nemo non prædicat & lau-  
 dibus fert summis ardorem erga ver-  
 bum diuinum. Arces cum turribus,  
 & ædibus sacris, quia eminent, & alti-  
 tudine operis a priuatorum ædificiis  
 distinguuntur, in oculos incurruunt o-  
 mnium. Sic principes, in excelsa  
 honorum fastigio collocati, ad se per-  
 trahunt contuentium animos, & virtu-  
 te excelsa dant in stuporem plebem

D

humili-

4629(14.) 4630

humilem. Sol, cœli oculus, non tan-  
tum in terras hasce inspicit, ac lumi-  
ne suo fouet & illustrat cuncta, sed &  
recreat omnes, & ne aberrent in tene-  
bris impingantque, viam illis aperit.  
Quemadmodum igitur vtrumque pa-  
triæ lumen toti rei publicæ ex alto præ-  
lucet, religione erga numen cœlestē,  
cura & amore erga subiectos, ita etiam  
hac in parte incomparabili studio præ-  
xit, & ad similia peragenda omnes in-  
flammat atque stimulat. Quamprimum  
inuitantur ad publica sacra homines  
**Christiani**, per signa consueta, primi  
adsunt principes: quam primum DEO  
supplicandum pro salute communi, SE-  
RENISSIMVM PAR in genua procumbit  
ante omnes: quam primum ad alia in  
diuinis celebranda procedunt castæ  
& piæ animæ, primi adparent princi-  
pes, & exempla demonstrant. Neque pie-  
tatem in templo ita solum exercent,  
sed & extra illud in domo excelsa ha-  
bent oratoria, & conclauia pietati me-  
dia-

(15.)

ditationique sacrata: vbi interdiu no-  
tuque cum DEO colloquuntur, & desi-  
deria sua exponunt. Qui vero tam  
sancte adhærent DEO, & tam strenue  
recteque se ipsi permittunt, illi facile a  
DEO quoque impetrant, quæ salutaria  
sunt, ac reipublicæ profutura: quam-  
vis non raro differat bona sua numen  
æternum. Qui EXCELSIS PAREN-  
TIBVS, ac patriæ datus est PRINCEPS  
SUCCESSOR, opinione nostra datus  
est sero nimis, sed in tempore diuini-  
tus constituto, vt a promiscuo con-  
ceptu satuque distingui posset eo me-  
lius. Quæ magna sunt ac duratura in-  
terris, non fortuito impetu, sed lentæ  
spei molimiue fiunt, consummanturve.  
Romani quoties olim principibus &  
heroibus cultum ac venerationem de-  
clarare volebant, nihil tam arduum a-  
pud eos erat, nihilque tam magnifi-  
cum excogitari poterat, quam vt in  
honorem illorum delubra extruerent,  
variisque quibus poterant ornamenti  
per-

220(16)221

perpolirent. Non opus est sumtu  
tam irreligioso, non vacuo a pietate  
sincera cultu: quia DEVS colitur in pio  
corde ac deuoto a SERENISSIMO  
PRINCIPVM PARI, quod templum  
est augustum nimis, splendidum, ma-  
gnificum. Sed nec opus est nouis  
structuris, vbi DEVS ipse templa struit,  
& quæ structa sunt, piorum princi-  
pum deuotione fiunt sanctiora. Ita  
vero adparet satis, quod ad caussam  
potius attendere debeamus, propter  
quam in templis procul superstitione  
& profana mente DEVS colitur. Ne-  
que in templo sunt, qui adsident in-  
ter concionem, ac promiscuum cœ-  
tum, nec tamen faciunt pietatis offi-  
cium. Si tamen ex mole structa, &  
sumtu ad honorem DEI impenso  
iudicandum, non minora sunt laudan-  
da in PRINCIPE SERENISSIMO NO-  
STRO, inque coniuge SERENISSIMA  
MARCHIONISSA, MARIA AMALIA,  
castissima DEI cultrice & sanctissima.

Non

(17.)

Non ambitiosa Romanorum ædificia  
in contentionem mittimus, non ex-  
quisita Græcorum opera, marmore  
& auro turgentia: sed quæ religioni  
ac pietati Christiani principis conue-  
niunt. Quot vero noster passim in  
terrī suis vel de integro exstruxit, vel  
temporum iniquitate collapsa, & vndi-  
que deformata restituit templā? In ocul-  
lis hæc sunt omnium, & a rerum intel-  
ligentibus fiunt maximi. Sunt princi-  
pes in sacris adpellati NVTRITORES  
ECCLESIARVM SCHOLARVMQVE,  
vt præsint illis, eas tucantur contra  
impetum quemuis externum, conser-  
vent, dotent, muniant. Non heic lo-  
quimur de iis, qui dum præfunt, eas-  
dem præter necessitatem ditant, ad  
luxum in terris, non ad maiorem DEI  
gloriam: eas protegunt, non tanquam  
in republica, sed extra illam, in statu  
separato, & muniunt instar castri vel  
acropoleos. Hæc non sunt alimenta,  
quæ præstat nutritor, PRINCEPS CHRI-  
STIA-

— 18. —

STIANVS, sed fomenta profani cultus.  
Quanta sit nostri cura in nutriendis,  
protegendis, & augendis sacris, ad æ-  
terni numinis honorem, verbis expri-  
mi non potest. In nutriendis ecclæ-  
siæ ministris deest nihil, sicut nec in  
scholis quidquam desideratur. Abun-  
de enim prospicitur singulis, ne ex  
vtraque sint, qui per operas alienas di-  
strahantur a munere ordinario. Im-  
mo sufficit, pie magis, quam magnifi-  
ce religionem colere, exemplo primo-  
rum in ecclesia hominum. Qui sti-  
pendiis fruuntur in academiis, ut do-  
tes a DEO concessas rite exornent, nec  
ingenia patiantur obsolescere, in par-  
tes venire debent, incorrupti testes,  
quam benigne, quam clementer ha-  
beantur. Si vero ad hæc beneficia  
respicimus, qualia sint, facile capimus  
quod ad ecclesiarum scholarumque  
incrementa referri debeant. Ne enim  
deficiant, qui vtrobique sufficientur,  
quoties alii vel DEV M sequuntur vo-  
can-

(19.)

canem ad maiora, vel ex hac vita  
prorsus euocantem, succrescunt in  
spem patriæ semper iuniores: qui ta-  
men nisi munificentia SERENISSIMI  
NUTRITORIS sustinerentur, in tanta  
egestate parum efficerent. Sicut ca-  
lor solis distribuitur per inferiora, &  
leuiora quoque virgulta refouet, ita  
gratia principis ad ignota quoque ca-  
pita porrigitur, modo sint apta ad  
præclara studia. In tam egregio pie-  
tatis cultu, quid maius in terris exco-  
gitari potest? Nihil sane: quia DEVS  
indulget non sine prouidentia speciali,  
quæ maxima sunt in terris bona. At-  
qui PRINCIPEM SVCCESOREM his  
annumerandum esse, quis dubitaret?  
Verum non male repetimus heic sa-  
pientum nobile effatum: vbi adest v-  
na virtus in habitu, ibi adsunt reliquæ.  
Iam quæ prima sit a pietate, qua SERE-  
NISSIMVS NOSTER illustrat orbem ho-  
diernum, quænam secunda, in ambi-  
guo est: quia singulæ certant, ac  
præ-

(12.)

præferri merentur. Si pietati foro-  
rem iungimus iustitiam, non aberrabi-  
mus. Vtraque a DEO est, & ad DEVUM  
rite colendum requiritur: in patriæ  
autem patre, REVERENDISSIMO AT-  
QVE SERENISSIMO PRINCIPE NOSTRO, na-  
tiuam sibi elegisse videtur sedem. Iusti  
cognomen plures habuere, qui non  
vbiique diuam hanc in oculis retinuere.  
Iusti ex generis humani suffragio audi-  
re voluerant, sed mox ex iniqua cæde,  
aut alia sententia peruersa, mensuram  
nominis vix impleuere. Iustus est  
noster, non vano elogio, & ad plau-  
sum comparato: iustus est, non vt  
aliis præstet maiora, sed vt peragat  
ea, quæ principem decent, in regimi-  
ne tot aliorum. Quod enim quotidie  
sint, qui contra iustitiæ regulas impin-  
gant, & innocentes lædant, vitium est  
cum orbe natum. Ut igitur sint, qui  
prouideant, ne alter sine cauſſa læda-  
tur, nec impunitus maneat nocens,  
DEVS præesse voluit hominibus prin-  
cipes,

(21.)

cipes, qui ius reddant. Adeo vero noster ad iustitiae regulas est intentus, ut DEO præstet, Cæsari & Imperio, quæ debentur. Inter æquales eam obseruat ita, vt cum illo omnes propter amorem iusti & æqui conuenire, & exemplum adsestari velint. Quid in propria domo lætius, quid efficacius ad nomen excelsum laudibus prosequendum? Si quis ex hac virtute amore SERENISSIMORVM FRATRVM, si quis COGNATORVM PRINCIPVM laudes in nostrum collatas, explicare vellet, quam prolixus is foret? Non capit angustior pagina tot verba honorum, tot iustitiae decora, non ex more, sed affectu sincero æstimanda. Priuati homines ex tanta puritate in omni affectu petunt solatia, inque causis suis post DEVUM non iustiorem optant iudicem, non æquiorem. In regimine præsens tanta grauitate, tanta circum-spectione, tanta religione tribunal exornat, vt nihil superesse possit iniqui.

F

Qui

1820(22.)1820

Qui variis obnoxii sunt curis, & sollicitudinibus pro caussa iuuanda promovendaque, frequentes accurrunt, & post litteras supplices oblatas conquiescunt, velut securi de exitu. Si qui caussa cadunt, quod aliter fieri non potest, & necessitatem suam calamitatemque humiliter explicant, tunc veri patris instar castigat ita, ut emendetur malum, sine amissione ciuis. Amat omnes æqualiter: sed ne in prauitate contumaces fiant, aut malitiæ data opera studeant, rigorem adhibet: quem denique mali sentiunt pertinere ad iustitiæ administrationem. Pro innocentia igitur tuenda, & ad proteruos refrenandos, maximopere occupatur. Inter præcipua tamen iustitiæ momenta semper habet, vt magis absolvat, quam puniat. Leges a maioribus latas obseruat diligenter, & sic novum illis vigorem atque perpetuum conciliat. Sic vero promptior est quilibet, ad obsequia præstanda legibus,

- 800 (23.) 822

bus, dum videt, principem erga omnes testari in vita, quod præcipit ipse. Talis viuendi habitus allicit animos, & ad amandum inuitat: tale iustitiæ studium, de veterum opinione, ex hominibus facit deos, sanctos omnibus & venerabiles: talis amor ciuium facit, ut quilibet in his prouinciis se felicissimum putet, quia subest optimo principi. Communis omnium vox est, te viuo viuimus, te saluo & incolumi, nos pariter sospites erimus: te propter diuinæ virtutes in prole aucto, satis nos diuites ac beati sumus in terris. Nemo aut sibi, aut boni civis officio, satis fecisse creditur, nisi te ita supremi numinis prouidentiæ commendauerit. Ita quidem omnes agnoscunt grati beneficium dei, in pignore thori, in deposito cœli, & quæ sollicita mente possunt vbertim precan-  
tur. Inter coelestia bona, quibus OPTIMVS PRINCEPS noster abundat, & propter quæ fert præmia in terris,  
for.

- od



462v(25.) 463r

fortunatior aliis & superior, est prud  
entia atque sobrietas. Vtraque con  
nata pariter, & sanguine maiorum de  
riuata in nostrum, in primis MAIO  
RVM, quorum auspiciatisima nomina  
præfert. Quis enim MAVRITIOS in  
ter Saxones, quis GVILIELMOS non  
audiuit celebrari a facinoribus pul  
cerrimis ? Non capit vel pagina  
laudes, vel tempus admittit elogia  
quibus dudum facti sunt immortales,  
ex pacis & belli artibus. Aliter enim  
fieri non potest, quam ut prouide, &  
constanter, utrobius res gerantur.  
Habent anfractus, ac veluti latebras,  
humana negotia, quibus falli & sub  
mergi possunt, etiam illi, qui lento  
gradu incedunt : quare in lubrica  
hac via DEVUM sequuntur ducem, &  
bonum genium omnes, qui in excelsa  
rerum fastigio collocati sunt. Qui pu  
tant ab hominibus cuncta prouideri &  
caueri posse, illi maiora tribuunt ho  
minibus, quam decet. Ad exempla  
ho-

(25.)

horum quoties respicio, non sine caus-  
fa moueor, & mirifice afficio, quod  
in rebus gerendis lætiore aliis gauisi  
sint successu : qui tamen non aliun-  
de magis æstimari debebat lætus &  
fortunatus, quam quod PRINCIPES ILLI  
BEATISSIMI cum DEO & res inciperent,  
& feliciter absoluerent. Quot con-  
tra sunt alii, qui sine numine agunt, ac  
sibi fere sapiunt, suæque prudentiæ ad-  
scribunt omnia? Verum quot sunt e-  
ventus improsperi, quot rerum disci-  
mina, ex quibus certe discimus, non  
esse prudentiam veram, quæ auxilio  
cœlesti destituitur? Homines qui-  
dem prospiciunt nonnulla, diligen-  
tiam adhibent, laborant, pericula a-  
deunt, immo pereunt in his: sed vnde  
est, quod nec prudentissimis ex voto  
succedant negotia? Sapiunt soli, &  
non respiciunt ad illum, qui res huma-  
nas in manu sua versat, & pro homi-  
num studiis largitur successum & euen-  
tum. Nouimus exulcerata fuisse tem-

G                    pora

(26.)

pora, quibus illi vixerunt heroes. Ve-  
rum inter media arma patriam conser-  
varunt in tranquillitate, & ne quid in  
necessariis desideraretur, abunde pro-  
spexerunt. In REVERENDISSIMO SERE-  
NISMOQVE PRINCIPE MAVRITIO GVI-  
LIELMO hæc omnia insunt, & longe  
maiora, propter cognitionem rerum,  
ex omni ætate & republica præstantis-  
fimarum : quas nouit sine prouい  
dentia cœlesti non contigisse. A  
DEO igitur felicitatis tesseram impri-  
mit rebus, quas ipse suscipit : per  
DEVUM sine impedimento pergit ad sco-  
pum, eumque attingit felicissime. Ne-  
que tamen omittit vnquam, aut sper-  
nit humanum consilium : quia DEVS  
per homines agit, &, vt feliciter a-  
gant, eos prudentia instruit. O feli-  
ces terras, quibus talis præest heros!  
o patriam fortunatam, quæ tanto  
principe, tam prudenti gaudet! Quod  
vero maior in hoc principe sit habitus  
virtutis ac prudentiae in primis, ex  
eo

(27.)

eo dignoscendum est iudicandumve,  
quod nemo sit inter eximios veteris  
prudentiae scriptores, nemo inter ho-  
diernos, quem non triuerit a primis  
annis, & intime perspexerit. Sed ne-  
que principes, reges & Imperatores e-  
runt in tabulis familiarum, de quibus  
non compertiora nouerit, quid vel ad  
communem utilitatem & incremen-  
tum, quid ad commune detrimentum  
attulerint. Hæc vero notitia tam sin-  
gularis est ac rara, vt nemo aliis in tan-  
to splendore domus rerumque gesta-  
rum comparari cum NOSTRO possit.  
Facit hæc incomparabilis virtus, vt in  
sobrietate, quæ nutrit & alit pruden-  
tiam, non cedat vlli. Si propter sin-  
ceram erga D E V M religionem, iusti-  
tiam, & prudentiam, SERENISSIMI  
NOSTRI aulam proxime accedere di-  
cimus ad aulam Theodosii iunioris,  
non aberramus. Laudatur ille, quod ni-  
hil habuerit prius, quam cum D E O lo-  
qui, per ardentes preces, per suspiria  
pro

-103-

(28.)

pro salute publica. De ardore hoc in  
diuino cultu iam satis egimus. Quid  
de iustitia poterimus addere? Nihil  
certe. Id quod in suppliciis maligno-  
rum aiunt Theodosio saepius in ore  
fuisse, o si reuocare possem mortuos!  
heic potius exauditur, quando iustio-  
re sensu ingeminat NOSTER: o si pra-  
vos & malignos ab interitu reuocare  
possem! Sic enim non opus esset sup-  
pliciis, quæ mali subeunt ex meritis.  
De sobrietate non inferiora debeant  
prædicari. Amat & promouet ea, quæ  
ad externum decus in aula faciunt:  
non tamen amat intemperantiam &  
violentiam, quæ in multis aulis hodie  
pro virtute colitur. Amat eos, qui hi-  
lari sunt & recto animo, constanti,  
pio, sapienti: non tamen hilares a-  
mat ebrios, quasi tunc sint alacriores,  
& per seria iocosve delectent. Ab-  
horret potius ab inani hac voluptate,  
per modicum se oblectandi spatium:  
sed coniuncta cum duraturo animæ &  
cor-

(29.)

corporis periculo, sero nimis depletato. Abhorret ab omni vano luxu, tanquam ab irritamentis malorum, & quæ ab aliis perduntur quotidiane, referuat ad magis necessaria. Sic vero nunquam deest beata rerum copia; sic floret patria & lætatur honestus quæsitus. His denique bonis ex cœlo accesit patriæ decus, ac solatium exquisitissimum, FILIUS PRINCEPS, FRIDERICVS AVGUSTVS, in cuius aspectu tota hæret aula, & alias paternum in oculis vigorem, alias vero maternam in ore gratiam & amoenitatem commendat. Sunt non vani augures, qui extot in vultu dotibus, MAURITID felicitatem temporum, VVILHELMI studium in pacis & bellum artibus, FREDERICI VVILHELMI magnitudinem animi & robur invictum, FREDERICI AVGVSTI heroicum impetum & celeritatem in rebus gerendis, nobis vndeque pollicentur. Non maiora nobis præsidia DEVS largiri, nemo meliora in terris

H

fa-

Kg 3462

fata precari, nemo certiora patriæ or-  
namenta spondere poterat id A Consen-  
tiunt in votis & precibus omnes, & cœ-  
lumque suspiriis pro incolumitate  
PRINCIPIS SUCCESSORIS implent. sapientia  
quidem tanto facundiæ habitu non  
instructus, quantus ad gaudia publica  
celebranda requiritur: sed tamen in-  
decoro silentio pietatem comprimam,  
in hunc locum consurrexi, ut vobis-  
cum, o mei, munere deuoti hominis  
defungerer, & sincera pietatis largu-  
menta declararem. Viue camori pa-  
triæ, viue spes nostra! Viue non tan-  
tum patriæ, sed toti Imperio, ful-  
crum excelsum! Viue & per exempla  
SERENISSIMORVM PARENTVM MAIORVM-

QUE felicitatem temporum auge!

Viue & omnium vota coelesti

incremento supera!



-5-

107

Pon Xa 3462, FK

ULB Halle  
004 533 194

3





2. 17. 46

Xa  
3462

REVERENDISSIMO SERENISSIMO QVE  
PRINCIPI AC DOMINO  
**DN. MAVRITIO GVILIELMO**

POSTVLATO ADMI  
GENSIS, SAXONIAE,  
GARIAE WESTPHALI  
GIAE, MARCHIC  
INFERIORIS LVSA  
COMITI MARCA  
STA  
PRINCIPI AC DC

SERENISSIM AE  
**DN. MAR**

SAXONIAE, IVLIACI  
WESTPHALIAEQVE  
DOMVS ELECTO  
PRINCIPI AC DO

PROPTER S.  
ET FI

SERENIS  
**FRIDERIC**

SAXONIAE, IVLIACI  
RIAE, WESTPHALIAE,  
IN RE

ET BONIS  
PO

S V B I E C 2

ET ORATI  
OFFERT

GOTTLOB FRIDERICUS

LITTERIS KREBSIANIS.

C I C I C C.

